





27!

Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

OBSTRUCTIONIBVS
IN GENERE,

QVAM

AVSPICE SVMMO NVMINE

ET

AVCTORITATE

GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ

PRO GRADV DOCTORIS

DIE MAII MDCCXXXV.

PVBLCO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT

AVCTOR

CHRISTOPHORVS BERNHARDVS
BORCKENHAGEN

BEROLINENSIS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

Typis JOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



17. 17. 17.

DEPARTMENT A. FROCKEN BERLIN

OBSTRYCITONIBVS

IV GENITIBVS

IOANNI THEODORO

HEHERO

FR. ERADWIGTORS

CHRISTOPH. BRUNHARDVS

BOREHAGEN

ATRONALCHATOOL

CHRISTIAN HILGEN



VIRO

ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO, ATQVE EXPE-
RIENTISSIMO

DOMINO

JOANNI THEODORO
ELLERO

MED. DOCTORI S. R. MAIESTATIS PRVSSIÆ A CONSILIIS AV-
LICIS EIVSDEMQUE ARCHIATRO; VT ET REGIORVM
EXERCITVVM MEDICO PRIMARIO

REGIÆ SOCIETATIS SCIENTIARVM BEROLINENSIS ET COL-
LEGII MEDICO CHIRVRGICI DIRECTORI, COLLEGII
MEDICI SVPERIORIS DECANO, AC SANITATIS
COLLEGII SODALI

PATRONO AC FAVTORI

SVO,

AD CINERES VSQVE DEVENERANDO,

NEC NON

V I R O

PLVRIMVM REVERENDO, ÆSTVMATISSIMO, DOCTIS-
SIMOQVE

D O M I N O

THEODORO GOTTLIEB
SCHLITTE

ECCLESIÆ QVÆ WVSTERHVSÆ PROPE DOSSAM COLLIGITVR
PASTORI PRIMARIO, ET INSPECTORI MERI-
TISSIMO,

PATRONO AC AGNATO SVO,

OMNI VENERATIONIS CVLTV PROSEQVENDO

HASCE

QVALESCVNQVE STVDIORVM SVORVM ACADE-
MICORVM PRIMITIAS,

SACRAS ESSE VVLT,

A V C T O R.



§. I.
Obstrectio est impotentia decenter transmittendi illud, quod transire debebat *a*).

- §. II.
Impotentia decenter transmittendi, oritur,
I. a *vasis* corporis nostri ipsis,
II. a *fluido transeunte*, &
III. a *corpore* quodam, quod aut
a. in *vase & canali* hæret, aut
b. sine læsione illorum eos tamen *comprimit*.

§. III.
Vasa (§. II. n. I.) sunt corpora cava, elastica, quorum parietes fibrarum structura gaudent.

§. IV.
Fibræ *vasa* hæc constituenta, si status præsupponitur naturalis, possidere cohæsiorem debent decentem, ac *vasa* ipsa experientia teste, tam *magnitudine*, quam *figura* differunt; quædam enim sunt *conica*, quædam *cylindrica*, fluidumque in statu naturali & corpore vivente vehunt.

§. V.
Reperiuntur plures adhuc in corpore nostro *canales*,

A 3

*) His ipsis verbis Illustri HAMBERGERVS præceptor meus ad cineres usque colendus, usus est in definienda obstructiõne.

nales, qui proprie ad vasa non pertinent multas tamen contrahunt obstructions, e. g. meatus auditorius, œsophagus, aspera arteria, bronchia, intestina, vagina uteri, ureteres.

§. VI.

Tonus dicitur ea vis vasorum, qua fluidum in illa impulsum, propellunt, ita, ut vis contrahens semper sit æqualis vi expandente, & contra, oriturque ex decenti cohæsione fibrarum & partium eas constituentium.

§. VII.

Parietes vasorum (§. III.) ex fibris constant *longitudinalibus* & *circularibus*, hæc si sese contrahunt, spatium quod vasi proprium est, angustius reddunt, in fluidum cum impetu agunt, hoc autem in statu naturali parum resistit, globuli enim illius separantur, ergo cedit. Fluido ita propulso vas aperitur tam a fluido accedente quod impetum cordis & arteriarum pro causa agnoscit pellente, quam a fibris longitudinalibus circularium antagonisticis, quæ in contractione antecedente tensæ & irritatæ erant, sese vero in pristinum jamjam restitunt statum. Hæc si ita fiunt actiones proportionatæ dicuntur, & fluidum motu decenti per vasa ruere potest.

§. VIII.

Status vasorum, quo vires ipsorum, contrahens nempe & expandens, sibimet invicem non sunt æquales, *atonia* nomine venit.

§. IX.

Vasa itaque hæc, *tono amisso*, transitum decentem impediunt, (§. VIII. II. n. I.) hæc vero atonia oritur,

I. ab

- I. ab actione violenta in vase,
 II. a fluidis calidis & frigidis; tam interne magna eorum copia assumta, quam externe si reiteratis vicibus & magnæ superficiei corporis applicantur.

§. X.

Si duo conveniunt corpora, unum fortiter alterum minus coherens, & in se invicem agunt, illud sola sua mole & gravitate, sine alia quadam vi, hoc comprimit; partes itaque illius separat, accedente vero insuper celeritate particulæ hujus majori separatæ erunt gradu.

§. XI.

Superficies corporis nostri externa, ex fibris atque vasis constructa est. Per actionem majorem eorum cohæsiō imminuitur (§. X.) hac imminuta iis deficit tonus (§. VI.), deficiente hoc transitum non permittunt decentem (§. I.).

§. XII.

Effectus hi ex actione majori, e. g. casu, ictu oriundi, vocantur *contusiones* hasque sæpissime esse obvias, quotidiana testatur experientia.

§. XIII.

Aliquando & obstructions occurrunt, a *causis irritantibus* & *parietes vasorum stimulantibus* productæ. Vasa enim sunt elastica (§. III.), accedente jam levi causâ irritante, ut sale acri, fragmento osseo acuto, subito sese contrahunt & transitum impediunt. Nascuntur etiam non raro tumores in ipsis vasorum parietibus; hi ideo spatium ad transitum decentem destinatum coarctant.

§. XIV.

§. XIV.

Ignis est inter cognita levissimum corpus, transit secundum legem Physicam ex omni corpore, in quo abundanter hæret, in omne aliud corpus, quod tantam non possidet quantitatem *b*). *Fluida calida* ignem continent copiosum, per exper. & si interne assumuntur, per œsophagum ventriculo immittuntur, hæ partes vero cum aspera arteria, pulmonibus, hepate & aliis corporis partibus connexæ sunt.

§. XV.

Fluidum calidum (§. IX. n. II.) si interne assumitur, tangit parietes œsophagi & ventriculi (§. XIV.), ignis quia illis specificè levior est, adhæret *c*), in eas transit cohæsiõnemque partium imminuit, aquæ autem particulæ in poros & interstitia fibrarum aperta intrant, easque emolliunt; Fibra vero emollita non decentem possidet gradum cohæsiõnis (§. IV.), ergo atoniam gignit (§. VI. VII.). Calor hic, quia excedit statum naturalem, a parietibus non retinetur, sed transit in vicina viscera (§. XIV.) ibique eadem parit phœnomena, debilitat ea, & vasa ad contractionem inepta reddit. Nimii potatores decocti herbæ Thée quam optime hoc sentiunt, malum enim hýpochondriacum, aliique morbi, nimium hujus potus usum plurimum sequuntur.

§. XVI.

Ignis in frigido potu gradus, non est, æqualis illi corporis nostri; si itaque assumitur, igneæ partes ex œsophago & ventriculo in illum transeunt (§. XIV.); hæ

b) vid. Illustr. HAMBERGERI *Element. Physic.* §. CCLVIII. CCLX.

c) l. c. §. CCLVIII.

hæ partes vero ob subitaneum, quod sentiunt frigus, statim sese constringunt & transitum fluidi iustum impediunt, ex vicinis visceribus pulmone, hepate &c. (§. XIV.) ignis quoque abit, vasa itaque eodem se constringere debent modo.

§. XVII.

Fluidorum calidorum (§. IX. n. II.) externe reiteratis vicibus & superficiæ magnæ corporis applicatorum, eadem est ratio, ac interne assumtorum: ignis emollit cutem, resistantiam illius imminuit (§. XIV.), & fluidum per vasa absorbentia corpus intrat, circulat cum sanguine, sique copia nimia in iis hæret, cerebrum nervosque premit, secretionem ideo ac decentem spirituum animalium circulum impedit; quamobrem lipothymiis illi sæpius affliguntur, qui balneis utuntur calidis. *Aqua frigida* externe applicata (§. IX. n. II.), ob transitum ignis (§. XIV.) poros & vasa constringit cutis, ideo decentem impedit fluidi in illis circulum.

§. XVIII.

Aer corpus ambit nostrum, & nos oportet omnes illius mutationes perferre. Itaque non solum aeri frigido, sed etiam simul humido sæpius expositi fumus; hoc nos circumdante, calor ex nostro statim transit corpore (§. XIV.); vasa excretoria cutis & pori illius sese constringunt & materiæ perspirabilis transitum impediunt. *Superficies interna pulmonum* tota est *vasculosa*, quare si intrat aer *frigidus*, similem in illis cum antecedente producit effectum, hu-

B

mi-

midum quod ad lubricationem ibi secernitur, per vasa, ob constrictionem, transire non potest, & morbum generat, qui *raucedo* appellatur. *Vasa membranae pituitariae SCHNEIDERI*, si eadem ex causa constringuntur, *coryzam* pariunt.

§. XIX.

Aer aliquando *in intestinis* quantitate & elatere peccat, & sic in quamcumque partem agit atque intestina expandit; horum parietes fibrarum & vasorum agnoscunt structuram, comprimuntur ab illo & transitum impediunt decentem, vasa etiam vicina, ut *Lactea, Mesaraica, Lymphatica, ductus, Cholodochus & pancreaticus*, ab illo comprimuntur. In *tympanitide* aer immediate, in cavitate hæret abdominis, similemque, ac ille in intestinis clausus, præstat effectum.

§. XX.

Fluida transeuntia obstructionem efficere possunt, ob visciditatem, quæ sero tribuitur, & spissitudinem, quæ sanguini propria est.

§. XXI.

Massa sanguinea ex particulis constat Aqueis, Terreis, Salinis &c. harum *proportio decens* dicitur *sanitas*, amittere tamen massa sanguinea hanc proportionem, & viscida ac spissa (§. XX.) propter vitia diætæ commissa, fieri potest.

§. XXII.

Quo gravius corpus est, eo difficilius movetur, crescente

crescente mole, motus quoque difficultas crescit. *Terrea* (§. XXI.) inter omnes massam sanguineam constituentes partes sunt gravissimæ, oriuntur a cibis duris, fumo induratis, &c. hi ob humorum defectum, non decenter solvi possunt.

§. XXIII.

Moles *terrearum* si augetur in massa sanguinea (§. XXI.), major erit copia punctorum contactus, ergo & major cohæsiō, ideo nec vas sese justo modo constringere, & spatium coarctare, nec fluidum contentum ob resistentiam nimiam propellere potest; vas enim in illos solum globulos agit, qui parietibus vicini sunt, eosque separat, impetum autem in reliquos non propagare potest globulos, qui centro vasis propinquiores sunt; molem ergo fluidi totam (§. VII.) non separare, nec fluidum iusta celeritate propellere potest; imo nisi impetus accederet cordis & arteriarum, nullus plane ejus expectandus esset motus. Alia adhuc accedit causa motus hujus tardi: hæ enim partes terrestres, quia gravissimæ sunt (§. XXII.), majori tenacitate cum vase cohærent, inde tardius separantur & circulum difficiliorem reddunt.

§. XXIII.

Salia (§. XXI.), quæ ad partes, sanguinem constituentes, referuntur, sunt vel *Alcalica*, vel *Acida*, vel *Media*. *Alcalica*, si cum sulphure, quod compositum est ex igneis & terrestribus partibus conjunguntur, illud resolvunt, igneasque liberant; hinc fi

abundant, duplex oritur causa spissitudinis massæ sanguineæ, prima erit serum deficiens, altera vero partes terrestres abundantes.

§. XXV.

Aqua, ut experientia docet, facile per quantitatem majorem particularum ignearum, quam *calorem* nominamus, dissipari potest. Jam constat inter omnes, aquam constituere *serum*, ergo & hoc, accedente causa jam dicta, in minutissimas partes dividi, separari & dissipari posse. Ipse quoque aer, qui in sanguine atque in vasis hæret, per calorem, ob elasticitatem suam, sese expandit; nec extendendo vasâ solum, eaque justo ampliora reddendo, sed &, quia hac ipsa ex causa debilitantur, ad dissipationem seri permultum confert (§. XIV. XIX.).

§. XXVI.

Physiologi ad unum omnes docent, fluiditatem Massæ sanguineæ a decenti quantitate feri, hanc vero ab aqua dependere. Iidem contendunt, serum partes sanguinis constituentes separatas tenere, ne sese in pluribus, quam par est, contingant punctis. Igneæ vero, si ab alcalicis liberantur (§. XXIV.) aquam dissipant (§. XXV.), & contactum cohætionemque harum partium augent (§. XXIII.); ergo & circulum difficiliorem reddunt. Secundam causam spissitudinis (§. XXIV.) dant terreæ, ab igneis relictæ; hæ quid præsent in (§. XXII. XXIII.) dictum est.

§. XXVII.

§. XXVII.

Chylus, ex alimentis paratus, *lac* est; ex characteribus chyli, maxima ex parte iisdem ac illi lactis, ut colore, consistentia, sapore, similitudo horum fluidorum satis superque elucet. *Acidum lacti immixtum* illud coagulat, id est, separat partes caseosas & terrestres ab aqueis & oleosis.

§. XXVIII.

Sal acidum quantitate nimia peccans in humoribus (§. XXIV.), eos omnes, salivam nempe, liquorem ventriculi, pancreatis, intestinorum, lympham, & secretum glandularum &c. replet; menstruum quidem ventriculi, ut *acidum* possideat, necesse est, ob digestionem, resolutionem ciborum & chymi parationem: abundantia vero illius in liquore hoc gastrico, damnnum inferre potest. Non minus in reliquis enumeratis, si reperitur, ad statum referre licet morbosum.

§. XXIX.

Chyli motus progressivus in vasis lacteis quam maxime est tardus: quare *acidum* hic (§. XXVII. XXVIII.) effectum suum quam optime præstare potest; coagulat illum (XXVII.), caseosas & terrestres partes præcipitat, quæ ob molem & gravitatem maiorem, fundum præterunt vasis, ibique cum parietibus illius cohærent. *Acidum* in sanguine manens, ob perpetuam chyli coagulationem, spatium vasis magis impedit. Ea, quæ in hoc & antecedenti §. dicta sunt, per experien-

rientiam quoque sæpius probantur. In infantibus enim morbi, ab obstructione mesenterii pendentes, frequentes sunt, & proveniunt ex diætâ eorum inordinata, ex fructibus assumtis immaturis, imo a nutricibus acido peccantibus; earum enim lac si acefcit, coagulat; & obstructiones in infantibus producit.

§. XXX.

Salia media quantitate excedentia (§. XXIV.), & sanguini immixta, quia graviora sero sunt, maiorem illius inferunt cohæsiõnem; ideoque Massam sanguineam viscidam reddunt; ad obstructiones itaque maxime pronam.

§. XXXI.

Aque deficientis effectus ex superius allatis (§. XXV. XXVI.) patent: jam ad illos *excedentis* ostendendos, progrediendum est. Si nempe quantitate nimia potulenta assumuntur, primæ non solum extenduntur viæ, sed & totum vasorum genus ab illis repletur ac dilatatur; hæc itaque fluida, nimis copiose assumpta, eadem pariunt cum aere expandente (§. XIX.) phænomena: vasa comprimunt, fibras extendunt, & illas ideo ad justam cohæsiõnem decentemque contractionem ineptas reddunt (§. IV. VI. VII.).

§. XXXII.

Omne *menstruum* quantitatem solum *determinatam* corporis cuiusdam solvit. Hoc quoque in corporis nostri menstruis quam optime observare licet. *Potus* si est *excedens*, totus a menstruo ventriculi, bile, liquore pancreatico non solvi nec appropriari humoribus

moribus nostris potest; crudus ideo, qualis in ventriculo & in intestinis tenuibus est, talis etiam intrabit vasa sanguifera; partes potus constituentes ibi non magis resolvi nec cum sanguine misceri possunt, per vasa tamen minutissima, cruda, ut sunt, transire cupiunt, horum vero ramorum diameter minor est diametro particulæ illius non resolutæ, ergo quidem intrat, ac vas obstruit, transire vero nequit, quamobrem aliarum quoque particularum sanguinis transitum impedit. Hæc dicta a posteriori quoque facillime probari possunt. Plerique enim post ebrietatem capitis capillorumque sentiunt dolores, maxima ex parte etiam dolore premuntur gravativo in pedibus, qui nullam aliam agnoscunt causam, quam obstructionem & extensionem vasorum.

§. XXXIII.

Potulenta *spirituosa excedentia* damnum humoribus corporis nostri propter acidum, quod in iis reperitur, inferre possunt; minor licet tantum acidum huius quantitas in illis sit, quam ob rem parum etiam tantummodo coagulare possunt (§. XXVII-XXIX.). Hoc præcipitatum etiam si ortum fuisset in ipsis vasibus lacteis, tamen ab illis, ob quantitatem parvam, sanguini advehitur, nulla vero adsunt vasa fecernentia, quæ tanto gauderent diametro, ut penetrare talis particula posset, sanguini ideo admixta manet, cum aliis similibus sese jungit & molem ac resistantiam humorum auget, corpusque præternaturale formare juvat, quod *Polypus* nominatur (§. XXII. XXIII. 1.).

§. XXXIV.

§. XXXIV.

Corpora, quæ spatium vasis arctius reddunt, (§. II. n. III. l. a.) sunt foetus, secundinæ, ipse sanguis menstruus, calculi, vermes, metalla, fructus & alia. *Fætus* ob magnitudinem suam, aliquando excedentem, ex utero & vagina illius, excludi non potest. *Secundine* retentæ fluxum impediunt lochiorum; *sanguis menstruus* coagulatus in utero, effluxum succedentem impedit, *d) calculi* orificia ureterum, ureteres, vesicæ uretram ocludunt, ita ut urina non decenter excerni queat; *vermes* transitum impediunt sæcum; ipsæ *fæces* induratæ, sequentium præpediunt excretionem; *metalla*, ut acus, globuli plumbei, ferrei, nummuli; *fructuum* nuclei, semina, pisæ, fabæ, in œsophago deglutitionem impediunt; si vero bronchia intrant pulmonum, aeris frigidioris prohibent accessum; in naso porro si hærent, effluvium mucii; & in meatu auditorio aeris aditum retardant.

§. XXXV.

Compressio vasorum & canalium per alia corpora externa (§. II. n. III. l. b.) oritur a *fluido extravasato cavum comprimente*, quemadmodum in apoplexia aliquando fieri solet a tumoribus extra vas hærentibus, ab ossibus fractis, a tensione partis in linea recta, vel spirali, quæ *contorsio* audit, a pondere incumbente, a ligaturis, a calculo, globulo plumbeo, &c.

§. XXXVI.

d) Litte in *Histoire de l'Academie Royale des Sciences* Anno 1722. p. 15. edit. Paris. *effluxum menstrui sanguinis ex utero demonstravit.*

§. XXXVI.

Obstructio præsens in corpore, ex qualicunque causa orta, imminuit circulum fluidi in parte obstructa; Ergo fluidum ad aliam tendit partem majorem impetu & celeritate (per *leg. Hydraul. & Phys.*). Hæc vero differt ratione obstructionis, quæ si magna est celeritas ac imperus quoque erit alibi major; vasa eam ob causam aut rumpuntur, aut dilatantur, & tumores producant, ut in hæmorrhoidibus, quæ ab obstructione Venæ Portæ oriuntur; si parva est obstructio imperus & celeritas quoque in alium locum vix erit sensibilis e).

§. XXXVII.

Tumores qui ab obstructionibus oriuntur, (§. XXXVI.) sunt

- I. illi, qui a sanguine dependent: atque hi rursus
 - a. in varicosos &
 - b. in inflammatorios dividi possunt.
- II. isti, qui a sero producantur.

§. XXXVIII.

Tumores varicosi a sanguine oriundi, (§. XXXVII. n. I. l. a.) producantur a vasis sanguiferis venosis obstructis

C

e) Obstructiones jam recensitæ, a nonnullis Medicorum, in tres diversas dividuntur Classes, in *Emphrazin* nempe, *Stenochoriam* & *Thlipsin*. *Emphrazin* dicunt, istam obstructionis speciem, quæ a sanguine coagulato &c. oritur, si ab excrescentiis in cavitate hærentibus, ut a polypo ortum traxit, *Stenochoria* audit; producta vero a coarctatione cavitatis, ut a fluido extravasato fieri solet, *Thlipsis* vocatur.

structis, v. g. a pressione, a ligaturis, ac *varices* simpliciter nominantur, quod etiam in gravidis sæpius observatur; Fœtus nempe si venam cavam premit descendentem, sanguis, ab extremitatibus inferioribus affluens, venas earum expandit, ibique, ubi valvulæ adsunt venarum, tumorem talem varicosum gignit.

§. XXXIX.

Obstructiones, *tumores inflammatorios producentes*, (§. XXXVI. n. I. l. b.) oriuntur a materia vitiosa, spissa (§. XX.) vasa sanguifera & neuro-lymphatica expandente; Materia hæc spissa in sanguine stricte sic dicto solum hæret, atque in illas partes cum motu aggit, quæ non sufficienter resistunt (§. XXXVI.), quæ obrem dolorem earum percipimus, ac materia colorem, quem possidet, ostendit; Calor vero his tumoribus inflammatoriis proprius, oritur a liberatione partium ignearum (§. XXIV.). Hi tumores inflammatorii si in superficie occurrunt corporis externa, simpliciter inflammationes vocantur; si eos autem in aspera arteria, œsophago ac musculis colli observamus, anginam nominamus; si pulmones illis afficiuntur, peripnevmonia, si pleuræ pleuritis, si meningis, phrenitis & si diaphragma paraphrenitis audiunt.

§. XL.

Sero viscido (§. XXX. XXXII.) vasa non ob molem

molem solum, sed ob resistentiam quoque, transitum impediunt decentem (§. VII. XXIII.). Quantitas ergo feri hujus viscerum augetur, expandit vasa & tumorem producit albicantem (§. XXXVI. n. II.), sique copia illius augetur, rumpit ea, & in cavitates abicit vicinas (§. XXXV.): unde in capite stagnans hydrocephalus, in umbilico hydromphalus audit, hærente vero sero in superficie totius corporis, & quidem in cellulis membranæ adiposæ, anasarca, in parte quadam extrema, œdema, in cavitate abdominis, ascites, & in scroto, hydrocele nominatur.

§. XLI.

Signa obstructionum in tumoribus externis aperte patent, interne si adsunt obstructiones ex causis antecedentibus & effectibus cognoscuntur. Obstructio cerebri aliquando causa apoplexiæ est, nervorum obstructionem paralytis, contabescencia; pororum biliariorum, icterus, ramorum ultimorum venæ portæ, hæmorrhoides, lienis tumores œdematosi sequuntur.

§. XLII.

Eventus obstructionum varius est, pro conditione partium obstructarum; lethalis est, si cor, vasa majora sanguifera, cerebellum, nervi ad cor aut ad organa respirationis abeuntes, obstructa sunt; in aliis vero partibus, vasis sanguiferis minoribus, nervis ad extremitates tendentibus, non lethalis erit.

§. XLIII.

Curatio obstructionum, ab actione externa violenta (§. XI. XII.) & terrestribus auctis ortarum, eo instituendo est modo, ut materia resolvatur, educatur, & tonus fibrarum restituatur. Resolutio materiæ fit per medicamenta, quæ salia continent alcalina f) ex illorum accessu, motus augetur intestinus, (§. XXIV.) fluidum sufficiens tamen deficit; (§. XXV.) ergo diluentia resolventibus addenda sunt: sublata jam partium cohæsiōne, sanguis accedens, impetumque cordis & arteriarum continens, materiam in ultimis arteriarum ramis hærentem propellit, ex his nunc facile, quia sunt coni inversi, ad reliquam massam sanguineam reveli potest. Tonus vasorum a medicamentis paululum stimulantibus & contrahentibus restituitur, quamobrem sese etiam contrahunt & materiam propellere juvant. Talia medicamenta in tumoribus externis inflammatoriis sunt fomentationes spirituosæ, calidæ, sæpius applicatæ: interne vero essentia alexipharmaca STAHLII, tincturæ bezoardicæ, potiones diluentes & alia. Venæ sectio in initio inflammationis magnæ instituta, non solum impedit affluxum sanguinis majorem, sed contractionem vasorum quoque auget.

§. LXIV.

Salium fibras irritantium, actio immimitur (§. XIII.), vel ea diluendo, vel eorum molem obtuse augendo; primum fit per assumptionem abundantis fluidi, salia ab illo solvuntur, diffunduntur, & ad actionem

f) vid. BOERHAVII *Aphorism.* 135. 136.

nem inepta redduntur; alterum vero fit per absorbentia terrea: salia enim cum terra in primo contactu coherant, & majorem formant cum illa molem, & sicut subtilitas fundamentum eorum erat actionis, ita hæc aucta mole cessat.

§. XLV.

Obstructiones a *fluido calido* ortæ (§. XV. XVII.), sanantur partim per omissionem potus calidi excedentis, partim per roborantia ac tonica, partim per remedia evacuantia, ut sunt diaphoretica, diuretica. Diaphoresis quoque locum habet, in constrictione vasorum ab aqua frigida (§. XVI. XVII.): uti in transpiratione ab aere frigido (§. XVIII.) impedita; materia enim per hæc medicamenta ad transitum per poros cutis apta redditur. Aer (§. XIX.) in intestinis quantitate nimia peccans, per carminativa, quæ robur ac tonum intestinorum restituunt, ejicitur; hæc medicamenta etiam causæ abundantiaæ aeris nimiaæ, putredini nempe, resistunt.

§. XLVI.

Coagulatum & præcipitatum ab acido (§. XXIX.) tollitur, per medicamenta, quæ sal continent alcali & sulphur, ut radix ari, zinziberis, vincetoxici, herba absinthii, cardui benedicti, salia alcalica fixa, tinctura antimonii tartarifata, essentia Alexipharmaca STAHLII cum essentia succini mixta. *Serum extra vasatum*, in cavitatibus hærens, per vasa absorbentia retrovehitur, si autem visciditas ad maximum pervenerit gradum, nullo alio evacuari potest modo,

quam per operationem quandam chirurgicam g).

§. XLVII.

Corpora, canalìa obstruentia, ut fetus, aut per moderate pellentia ac dolores excitantia, aut per manum chirurgicam extruduntur; secundinæ retentæ, vel per contractionem uteri, vel per manum obstetricis extrahuntur. Fluxus menstruus promovetur per resolutionem sanguinis coagulati, vermes, per anthelmintica, fæces, per emollientia ejiciuntur. Calculi aut per remedia lithontripica, aut per manum chirurgicam remouentur; in œsophago hærentia, instrumenti cuiusdam ope detruduntur; in ventriculo, si metalla sunt, spiritu salis diluto corroduntur; in aspera arteria hærentia, si magnitudine non excedunt, per tussim excitantia excluduntur; in meatu auditorio & naribus manu chirurgica educuntur; tandem & ligaturæ ac stricturæ resolvi debent.

§. XLVIII.

Hæc de obstructionibus generatim dicta sufficiant; in speciali eorum examine prolixius pertractari debent; ibi enim signa certa cuiuslibet obstructionis, remedia secura & alia observatu digna proponenda forent.

g) vid. Illustr. JVNCKERI *Medicinæ Conspectum Theoretico Practicum* pag. 365. & seqq. ubi hæc prolixius pertractantur.

S. D. L. H. A. G.



NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
CHRISTOPH. BERNHARDO
BORCKENHAGEN,

S. D. P.

IOANNES IVNCKERVS.

Postquam Halam concessisti in meamque pervenisti
notitiam, statim excitatam TVAM, CANDIDA-
TE NOBILISSIME, indolem & integros mores
probe cognovi, magnamque exinde cepi voluptatem,
ut jam omnino dignum TE iudicem, qui publico or-
neris testimonio. Non equidem mihi est gratulandi
orium, sed TIBI tamen potissimum gratulari cupio;
quia adeo benigna materia in TE, CANDIDATE DI-
GNISSIME, præbetur, ut optandum esset, talem omnes,
qui artis salutaris tirones hic agunt, de se darent. Quæ
enim in candidato laudari solent & commendari, inte-
gritas vitæ & doctrinæ probitas, ea utraque in TE tam
luculenter eluxere, quam in multis vix possunt. Quan-
doquidem TE omni doctrina & humanitate egregie
excultum in utroque ordinis nostri examine præbuisisti,
& ad quæstiones ex medicinæ tam theoreticæ, quam
pra-

practicæ partibus desumtas tam expedite & solide ad
hypothesin TVAM respondisti, ut merito etiã re-
liquorum doctorum favorem TIBI conciliaveris. Da-
toque nunc industriæ specimine inaugurali, meritam
TVAM laudem egregie amplificasti. Et quemad-
modum solidis in arte salutari profectibus ex hypo-
thesi TVA satisfecisti; ita nullus dubito, quin illud,
quod proprio Marte elaborasti specimen, solus quo-
que & solide ad hypothesin TVAM tuearis ac defen-
das, adeo, ut qui disputantem TE coram audituri sunt,
eorum nullus reperiatur, quin laudi TVAE ultro as-
sentiatur. Et quid non ab eo expectari debet, qui
ingenio satis instructus tanta diligentia ac industria stu-
dia tractavit? Igitur non possum non rebus TVIS o-
ptime augurari, atque de TE plane sperare, futurum,
ut hominum saluti cum luculento fructu inservias, id
quod vt DEO bene adiuvente fiat, vere & ex animo
apprecor. Ita bene agas & auspicato abeas & per-
petuo fortunæ benignioris cursu utare. Quod reli-
quum est, de me plane existimare velis, de honori-
bus TVIS me impense lætari & vere TIBI gratu-
lari, & nulla umquam in re TIBI operam & con-
siliium meum esse defuturum. Vale, CANDIDATE
NOBILISSIME, & hoc certum propensæ in TE meæ
voluntatis pignus accipe & serua. Iterum etiã at-
que etiã vale. D. a. d. II. Maji Anno
MDCCLV.

Accipe, quos dudum doctrina meretur, honores,
Atque labore TUO parta brabea cape!
Fortiter ac docte doctissima scripta tueris,
Et resonant verbis ampla theatra TUUS
Pallas adfidos læta admirata labores
Iam TIBI victori præmia digna parat.
Nam TUA purpurea comprehendit tempora mitra,
Summaque Doctoris nomina dignus habes.
Adplaudunt cuncti: Sincerum adiungere votum
Communi studio, me quoque iussit amor
Saluus & incolumis TUA limina grata revise,
In patrios fines auctus honore redi!
Mille tuas artes ægrorum vota reposcant,
Multorum celebret TE reparata salus,
Vive diu felix, successibus utere faustis,
Atque TIBI ex voto prospera quæque fluant.
TE, licet absentem, vero complectar amore,
Meque TUUS rursus quæso sequatur amor.

Prænobilissimo atque doctissimo Dno. Docto-
rando, pauca hæc in sui memoriam
gratulabundus adposuit.

Joach. Frider. Grüel.
Grünefeldenf. Mef. March. Med. C.

D

PRÆ-

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
AMICO AESTUMATISSIMO
CHRISTOPHORO BERNHAR-
DO BORCKENHAGEN

S. P. D.

JOANNES GODOFREDUS GRUNOV,
MED. CAND.

Semper in TE deprehendere atque admirari mihi
licuit generosam paternae sed ulitatis indolem,
neque vano omine auguratus sum, TE olim pa-
triae ornamento futurum. Et quid mirum?

Fortes creantur fortibus, et bonis,

Est in juvenis, est in equis patrum

Virtus, nec imbellem feroces

*Progenerant aquila columbam. *)*

Gratulor TIBI, DOCTISSIME AMICE, de tanto om-
nia distributricis naturae bono; gratulor TIBI, in-
quam, & dum herbescentem laudandarum TUARUM
virtutum segetem intueor, obstupesco, atque animo
paene derelictus, quid primo, quid secundo loco di-
cam? scio cum ignarissimis. Nunquam maiori persua-
sione

*) HORATIUS lib. IV. Carm. ode 4.

fione tantam fidem eloquentissimo Ciceroni habui;
quantam nunc demum ipsi tribuo; quum TE ad medi-
cinæ lauream, & summos, quos elargitur, honores,
pleno, ut ajunt, gradu contendente, video. En
ipsius verba: **) *quum ad naturam eximiam atque il-
lustrem accesserit ratio quedam conformatioque doctri-
ne; tum illud nescio, quid præclarum ac singulare
solet efflorescere.* Ego vero huius rei testis sum ocula-
tus. Scis enim DOCTISSIME BORCKENHAGEN,
me a puero, etiam tum, ubi lasciva iuventus equitare
solet in arundine longa, TECUM amicitia vinculo
junctum fuisse. TE integerrimum cognovi in eodem
ludo, eademque palæstra, in qua per aliquot annos
versati sumus. TE amicissimum dereliqui, quum Je-
nam studiorum causa peteres. TE denique incorru-
ptas referentem, non ita pridem, amicitia tesseras,
huc in Fridericana exosculatus sum. O ter TE quaterque
felicem! qui non ponderoso collegiorum, ad lucer-
nam ægre descriptorum, sæpiusque edaci tantum tine-
arum & blattarum perniciæ profuturorum, numero;
sed ingenii instructus dotibus, sed doctoralibus orna-
tus insignibus, hancce Musarum sedem derelinquis.
Adsit DEUS in posterum quoque conaminibus TUIS,
ad invidiam usque felicibus, meque amare perge! Sic
tandem magnus eris, mihi vero tam felici esse contin-
get, magni frui amici amicitia. Dabam in Friderici-
ana d. VI. Maij cdo 1700 xxxv.

D 2

PRÆ-

**) Orat. pro Arch. cap. 2.

PRAENOBILISSIMO ATQUE DOGTISSIMO
DOMINO
CANDIDATO

AMICO AMICORUM AMICISSIMO

S. P. D.

CHRISTIANUS FRIDERICUS HENRICI
MED. CANDIDAT.

Tandem in publicum prodis, DOCTISSIME
BORCKENHAGEN, tandem cathedram ad-
scendis omnium cum adplausu, defendisque
dissertationem, proprio Marte elucubratam. Thema,
quod elegisti, haud vulgare est, satis superque indicat,
TE in anatomicis æque ac reliqua praxi medica esse
versatissimum. Anatomia quippe omnium scientiarum
medi-

medicarum regina, nostris demum temporibus caput at-
tollere coepit: quæ olim religioso quodam supercilio
despecta neglectaque jacebat. Felicitati id temporum
nostrorum tribuendum, atque inde incrementa arti no-
stræ enata sunt felicissima. Quem vero fugiunt somnia
febricitantium, auorum proauorumque memoria, de-
gentium medicorum? qui fibrationem sensationemque,
a spiritu quodam, hanc vel illam corporis partem re-
gente, produci existimabant. Evanuit, ni me omnia
fallunt, hic spiritus nostra ætate, & tamen, quod for-
sitan mirandum, sentimus. Non miramur amplius,
postquam nos anatomia & physica meliora edocuit.
Dum hæc paullo accuratiori meditatione perpendo, at-
que demonstrare mens est: ferias calamo meo indicit
Dissertatio TUA doctissima. Hæc enim prodit medi-
cum rationalem, omnia demonstrantem, inquirentem-
que in causas obstructionum, magna cum assiduitate.
Gratulor TIBI de tam feliciter enixo, felicissimis sub
auspiciis, eleganti ingenii atque eruditionis partu. Ser-
vet TE omnium rerum moderator incolumem, sartum
tectumque; & quando olim magnus atque canitie eris
venerabilis, memor adhuc sis amici TUI ad bustum us-
que TIBI deditissimi. Dabam in Fridericiana d. VI. Maij.
cl. l. cc. xxxv.

* * *

S Freund, Dein Glück umarmt Dich heute
Erndte Deines Fleißes Lohn:
Geh vergnügt zu Deinen Streite,
Trage Krank und Sieg davon. Bei

Bei der Stärke Deiner Feinde
Kämpf und überwinde Du.
Ich, der letzte Deiner Freunde
Sehe den gelehrten Kampfe, sehe dir mit Freu-
den zu.

* * *

Zwar die Einfalt bebt und zittert,
Wen sie aufs Catheder steigt:
Wan der erste Angriff wittert,
Sieht sie niederverts und schweigt.
Aber der, des Geist ein Wissen
Von gekörnter Art erhebt
Ist mit kalten Blut beflissen,
Schluß und Zweifel aufzulösen, die sein muth-
ger Gegner weht.

* * *

Unter dieser edlen Classe
Edler Freund, rechn' ich auch Dich.
Und wann ich Dich drunter fasse,
Wehrtester, wer tadelt mich?
Du gehst, von Vernunft begleitet
Auf den Pfade der Natur,
Und, von jener Licht geleitet,
Folgst Du ihrer innern Spur.

* * *

Du Verdancf den Saalathene,
Ja verdancf ihm Deine Kunst.
Sieh! füllt nicht Hygeens Söhne
Oft nur ein gelehrter Dunst?
Seufzet nicht um ihre Kinder
Unser beyder Vaterland?

Du

Du machst seinen Kummer minder,
Du, der Du der Jugend Kräfte, ihm zum Stus
so treu verwandt.

* * *
Also nimm Hygeens Crone,
Klugen Aerzten steht sie schön
Nimm sie, edler Freund, zum Lohne
Sie wird Deinen Wehrt erhöh'n.
Geh vergnügt zum Spreegefilde,
Und gemesse dort Dein Glück.
Sieh zuweilen noch im Bilde,
Freund, in Deinen frohen Stunden, auch nach
Deinen Freund zurück.

J. D. Cube.

S nimm denn aus Apollens Hand,
Geehrter Freund der Würde Zeichen,
Das Dir Verdienst und Gaben reichen,
Den Kranz, den Dir Hygea wand.
Nur frisch den Widerstand bezwungen,
Dein Fleiß hat schon den Ruhm errungen,
Und setzt Dir nach vollbrachten Lauff
Den Doctor Hut mit Ehren auf.
Geh, zeige nun der klugen Welt
Der ächten Weisheit muntre Proben,
Die Dich zu ihren Sohn erhoben,
Und uns zum Muster dargestellt.

Das

Das Glück verfolge Dich mit Segen;
Und will sich wo ein Unfall regen,
So sey getrost und sorgen frey,
Warum? die Tugend steht Dir bey.

Devo ergebenen Vetter
J. J. M. Bordenhagen.





01 A 6515

ULB Halle

3

002 932 091



1017





Q. D. B. V.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

OBSTRUCTIONIBVS IN GENERE,

QVAM

AVSPICE SVMMO NVMINE
ET
AVCTORITATE

GRATIOSÆ FACVLTATIS MEDICÆ

PRO GRADV DOCTORIS

DIE MAII MDCCXXXV.

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT
AVCTOR

CHRISTOPHORVS BERNHARDVS BORCKENHAGEN

BEROLINENSIS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ

Typis JOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr

